

cilii Arausicani: *Hoc salubriter profitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, quod statim declarat, quia fidem et amorem prius Deus inspirat.* Unde, cum postea subdit, post Baptismum ea quæ Deo sunt placita posse a baptizatis per Dei adiutorium impleri, de eodem adiutorio divinæ inspirationis loquitur sine dubio. Item illam sententiam: *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo; nulla vero facit bona homo, quæ non præstet Deus ut faciat homo, nemo negabit de omni homine etiam justo intelligentiam esse.* Et tamen ratione excitantis gratiæ dictam esse manifestum est; tum ex usitata phrasi Augustini, quod Deus per vocationem facit ut faciamus, tum ex eodem Augustino, lib. 2 contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 9, ubi eandem sententiam prius tradidit, et ratione excitantis gratiæ declarat Deum facere in nobis *ut quidquid est boni cum illo faciamus.* Denique idem confirmat illa sententia ejusdem Concilii: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur,* quia, juxta frequentem modum loquendi Augustini, Deus operatur in nobis per gratiam excitantem, nobiscum autem per adjutantem. Et ita ponitur eadem sententia a Prospero inter alias Augustini, sententia 22. Denique hoc confirmant testimonia Scripturæ quibus similes sententiæ solent ab eisdem Patribus confirmari, quales sunt illud Proverb.: *Præparatur voluntas a Domino;* et illud ad Romanos 8: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei,* et similia.

27. *Probatur quarto ex Scriptura, ponderando locum D. Pauli ad Hebr. 13, 20-21.* — Nunc autem libet peculiariter expendere rationem Pauli ad Hebr. 13: *Deus autem, etc., aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum,* quo loco non tantum pro peccatoribus, sed etiam pro justis Paulus orat, petens ut Deus illos aptet in omni bono: aptare autem idem est quod præparare, inclinando voluntatem ad bonum. Nam cum voluntas sit principium omnis boni actus, tum homo aptatur ad bonum, quando voluntas ejus inclinatur ad bonum, seu quando Deus illi immittit voluntatem bonam, ut ibi notat divus Thomas. Modum autem hujus præparationis explicavit Paulus, dicens, *faciens in vobis, quod placeat coram se,* quia, ut alibi dixit, *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere.* Hoc autem facit Deus in nobis per gratiam excitantem, ut in libro 5 latius videbimus

ex Augustino, et indicat illud verbum, *faciens in vobis,* quia, ut nuper dicebam, per gratiam excitantem operatur solus Deus in nobis. Unde Anselmus ibi rationem illius petitionis Pauli reddit, quia, nisi ipso in vobis operante, nihil potestis agere quod oculis ejus placeat; hæc est gratia quæ mentem prævenit. Hæc enim gratia omnibus, tam justis quam injustis, necessaria est ubique et semper, ut opera quæ Deo placeant facere possint.

28. *Probatur quinto ratione.* — Ratione probari potest eadem sententia, quia in homine non habente habitum infusum, necessaria est gratia excitans, quæ voluntatem inducat et juvet ad opus pietatis; ergo etiam in habente virtutes infusas est eadem gratia necessaria, si nulla alia differentia inter duos operantes intercedat, nisi quod unus habeat habitum, et non alius. Antecedens supra probatum est cum simili fere illatione; quæ iterum probatur, quia probabilius est gratiam excitantem non requiri tanquam principium physicum, quod suppleat vicem habitus, quod nunc supponimus, et infra probandum est, et ideo ex hac parte habitus non tollit necessitatem excitantis gratiæ. Aliunde vero id quod est proprium gratiæ excitantis, quod est formaliter præstare ut homo vitaliter attendat et vigilet, vel afficiatur, hoc non præstat formaliter habitus, nec suppletur per naturalem illam propensionem quam habet ad suum actum, quia est distinctæ rationis, et non transcendit statum dormientis (ut sic dicam) seu statum potentiæ in actu primo, qui semper est imperfectus et potentialis respectu actus secundi; ergo non obstante habitu manet eadem necessitas excitantis gratiæ, et declaratur in hunc modum. Nam si vera esset sententia quam Vega tenet, catechumeno, etiamsi incipiat credere per verum actum fidei infusæ ante Baptismum, seu contritionem, non infundi habitum, tunc si ille post primum actum fidei interruptum secundum effecturus sit, ex pia voluntate supernaturali indigebit nova gratia excitante, quia nec habet habitum infusum, nec prior quæ præcessit ad primum actum, sufficit ad secundum, ut probant rationes in primo puncto factæ. At profecto eadem ratio necessitatis invenitur in catechumeno, etiamsi per primum actum ei infundatur habitus, ut probabilior fert opinio, quia per habitum non fit habilior vel potentior ad se excitandum, sed ad credendum si excitetur. Eademque ratio fieri potest de cæteris virtutibus infusis, si fingamus hominem sanctifi-

cari sine illis per solam gratiam sanctificantem, vel alio modo.

29. *Aperitur evidentius hujus sententiæ probabilitas.* — Deinde potest necessitas gratiæ excitantis in homine justo ita declarari et temperari, ut creditu facilior fiat, nam loquimur imprimis de homine qui de novo incipit operari et transire ab actu primo ad secundum, quia si jam sit in actu secundo, et ab illo ad alium transeat per aliquam colligationem, tunc non indigebit nova gratia excitante, quia per primum actum excitari potest ad secundum, in virtute primæ excitationis, ratione cujus uterque actus, vel quotquot multiplicati fuerint sic connexi, in Deum referuntur. Sic enim Prosper, contra Collat., cap. 3, in fine, excusat quædam verba Cassiani dicentis: *Cum Deus in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eum confestim atque confirmat, et incitat ad salutem;* addit autem Prosper: *Et hic potest adhuc dicere illius se ortum bonæ voluntatis significasse, cujus a Deo sunt plantata, vel inspirata principia, quia illuminatis jam cordibus possunt salubres prodeire conatus, qui ideo ipsius hominis proprii esse dicuntur, quia jam bonorum conatuum acceperit facultatem, et eorum semina ad suum referuntur auctorem, quam doctrinam (quidquid Cassianus senserit) tanquam verissimam nobis tradit Prosper, et æque procedit sive illi conatus sint tantum circa unum actum, sive circa plures connexos inter se, et ab eodem divino semine procedentes. At vero quando justus omnino de novo incipit pie operari, vel quia antea dormiebat, et vigilare incipit per actum bonum et sanctum, vel etiam quia licet de re sancta cogitaret, subito transfertur ad aliam omnino distinctam, et cum præcedenti nullo modo connexam, in his casibus necessaria est motio, saltem ex parte intellectus, quæ omnem libertatem antecedit; ergo si talis motio ex parte sua sit sufficiens ad actum pietatis, non potest esse nisi ex gratia excitante divina. Quod quidem est evidentius, quando illa motio est mere interna, quia nihil externum occurrit quod illam inchoaret, tunc enim, ut dixit Zosimus Papa, esse non potest nisi ex instinctu Dei, sive immediate operantis, sive medio aliquo ministerio sanctorum Angelorum, saltem quoad motionem phantasmatum, quando ab illis incipit intellectualis cognitio.*

30. *Quando cogitatio interna hausta est a sensibus, potest aliquid operari habitus.* — Quando vero cogitatio interna per motionem

alicujus sensibilis objecti incipit, tunc aliquid potest operari habitus, ut talis excitatio fiat, potestque etiam juvare aliqua bona dispositio per priores actus bonos acquisita, præsertim species præteritorum actuum in memoria relictæ; illæ enim immediate excitantur per objecta externa, et dum repræsentant vel pium propositum prius habitum, vel objectum, ut jam prius amatum aut creditum, facilius inducunt cogitationem ad pium actum inclinantem, quæ vera gratia dicenda est; tum quia occasio talis excitationis, ex gratuita Dei providentia parata est; tum etiam quia quodammodo præstatur in virtute prioris gratiæ ad præcedentes actus efficiendos data. Et nihilominus existimo, ut cogitatio illa, quæ per hujusmodi objecta externa interius excitatur, sufficiens sit, ut voluntas possit pium et supernaturalem actum elicere, necessarium esse ut Deus aliquid interius speciali modo infuso operetur, vel cogitationem dirigendo ut supernaturalem rationem operandi voluntati proponat sicut oportet, vel suavitatem aliquam infundendo, quæ et inclinet, et satis attendere faciat ad talem operandi modum. Moveorque præcipue, quia hoc videtur mihi magis consentaneum doctrinæ Conciliorum et Augustini, et quia ipse modus supernaturalis operandi revera semper videtur hoc exigere, præsertim ut eliciatur actus in sua substantia supernaturalis. Fateor tamen necessitatem hanc gratiæ excitantis in homine justo per se ac simpliciter inveniri ex parte intellectus, et in cogitatione ejus, non tantum ut sit congrua, sed etiam ut sit sufficiens. Ex parte autem voluntatis, quia necessitas magis oritur ex infirmitate naturæ lapsæ, quæ infirmitas per justitiam sanatur aliquo modo, vel reparatur, ideo si magna justitiæ perfectio, etabilitas, ac promptitudo ad pie operandum ex frequenti usu sancte vivendi comparata sit, fieri poterit ut excitans gratia intellectus sufficiat ad eliciendum statim ex habitu gratiæ piam ac deliberatam voluntatem, nullo interveniente motu indeliberato ejusdem voluntatis. Verumtamen quamvis hoc magis accidere possit justis quam peccatoribus, et perfectis quam imperfectis, nihilominus in omnibus rarum esse opinor, tunc propter tarditatem hominis in deliberando, præsertim in materia tam gravi et supernaturali, tunc propter infirmitatem et difficultatem quæ in hac vita nunquam omnino tollitur.

31. *Objectio.* — *Responsio.* — Objiciet saltem nobis aliquis, quia, supra in secunda conclu-

sione, diximus peccatorem fidelem, cum sola externa propositione objecti fidei, posse sine aliqua gratia excitante elicere actum fidei, saltem modo speculativo, cum tamen actus ille etiam supernaturalis sit: ergo similis propositio objecti poterit esse sufficiens ex parte voluntatis. Respondetur imprimis illam particulam *solum* non excludere concomitantia, id est, non excludere internam doctrinam qua Spiritus Sanctus facit interius concipere objectum fidei, prout necessarium est ad actum fidei elicendum: probabile enim est etiam ad illum modum concipiendi uti Deum exteriori verbo ut instrumento, et adjuvare seu manducare intellectum, ut melius id faciat quam suis viribus possit, et hoc genus auxilii ad omnes et singulos actus fidei, etiamsi ex habitu fiant, esse necessarium. Juxta hoc ergo, particula *solum* excludit tantum alia auxilia, quæ ex parte piæ voluntatis ad credendum sunt necessaria, quia supponimus illum actum fieri posse ex habitu, sine speciali motione voluntatis ad talem assensum in specie, sed tantum ad considerandum vel judicandum de hujusmodi rebus. Deinde vero addimus in actibus voluntatis, ut sancte fiant, esse longe majorem difficultatem quam in actu intellectus speculativi, etiamsi sit fidei, quando jam intellectus supponitur captivatus in obsequium ejus; tunc enim simpliciter fertur in veritatem objecti propositi, et difficultates fidei, vel non considerantur, vel ex habitu tanquam nullæ reputantur. At vero rectitudo et sanctitas in actu voluntatis ex multis circumstantiis pendet, et præsertim ex puro motivo consentaneo tali actui, quod difficile ab aliis motivis secernitur, et plura etiam sunt quæ illum impedire vel obscurare possunt, et ideo major necessitas excitantis gratiæ ad actus pietatis, prout a voluntate pendent, etiam in justis invenitur.

32. *Ad primum fundamentum primæ sententiæ.* — *Ad fundamentum secundæ.* — Superest ut ad argumenta aliarum opinionum respondeamus. Et ad primum fundamentum primæ sententiæ, nihil novi est quod dicamus, jam enim ostensum est quomodo excitatio præcedens, eodem modo quo dicitur in virtute vel in semine manere, non potest per se sufficere, nisi iterum excitetur et juvetur. Idemque et cum proportione dicimus ad fundamentum secundæ sententiæ, nam etiam fides mortua indiget excitatione ut actu operari valeat, et per se est etiam inefficax ad excitandam sufficienter voluntatem ad perfectam conversionem, non tam ratione sui quam ratione sub-

jecti infirmi et prave affecti. Neque Concilium Tridentinum, cap. 6, dicit unicam excitationem sufficere ad omnes dispositiones quas ibi numerat: posset tamen id habere locum quoad excitationem omnino non liberam, et ab extrinseco provenientem, quando actus voluntatis ita essent inter se connexi, ut unus ad alium moveret, tunc enim præcedit saltem primâ excitatio ab Spiritu Sancto, quæ sufficiat movere voluntatem ad aliquem liberum actum; ille vero statim excitat mentem ad alium sibi consentaneum, excitando etiam aliam cogitationem in intellectu, si necessaria fuerit, in qua etiam Spiritus Sanctus habet suum proprium influxum. Unde licet hoc modo procedatur, et usque ad perfectam conversionem et justificationem perveniatur, id non fit sine propria gratia excitante, ut jam declaravi. Confirmatio autem quæ ibi additur in æquiparatione inter justum et peccatorem, ex dictis in tertia assertionem soluta relinquitur, et in capite sequenti amplius declarabitur.

33. *Ad fundamentum tertiæ sententiæ supra num. 6.* — Ad fundamentum tertiæ sententiæ, imprimis respondendum est ad verba D. Thomæ in dicto artic. 9, in quibus aliqui, per auxilium gratiæ et per motionem divinam, aliquam gratiam excitantem intelligunt: unde potius colligunt, secundum D. Thomam, justum indigere gratia excitante ad singula bona opera, etiam ordinis naturalis; sed hoc verisimile non est, ut latius in primo libro dixi. Dico ergo D. Thomam ibi indefinite loqui de bono efficiendo et malo evitando, et ita eodem modo loqui de motione Dei indefinite, et cum partitione accommodata postulare illam ad omne opus bonum, generalem scilicet, seu naturalem, ad opera naturæ; specialem vero, seu gratuitam ad opera pietatis. Ad Concilium Arausicanum respondemus, cum in prioribus verbis dicit: *Christo auxiliante, et cooperante*, et cum in posterioribus dicit, *cum ipsius adjutorio*, semper intelligere auxilium divinæ inspirationis, de quo in præcedentibus capitulis sæpe fuerat locutum, et in sequentibus ostendemus Augustinum et alios Patres, in communi modo loquendi de divina gratia, nomine divini auxilii excitantem gratiam imprimis comprehendere.

34. *Solvitur prima ratio supra num. 6.* — *Solvitur secunda.* — Ad primam rationem, omisa efficientia physica, propter quam nos excitantem gratiam non requirimus, negamus proprium munus ejus, quod utique formaliter præstat, posse per solum habitum suppleri,

quia, ut declaravi, neque formaliter dat habitus illum modum actualis et vitalis inclinationis, quem dat excitatio, neque efficere aliquid potest, nisi ipse excitetur. Unde ad illam comparisonem inter semen inspirationis et semen gratiæ habitualis, respondemus in hoc potius servandam esse proportionem, quod sicut excitatio non potest facere bonum conversionis sine adjuvante et cooperante gratia, ita neque habitus gratiæ potest efficere fructum justitiæ sine divina inspiratione, seu excitatione; in universum enim vera est Augustini sententia, quod Deus præparat voluntatem adjuvandam, et adjuvat præparatam. Ad secundam rationem, recte responsum est habitus gratiæ, quia sunt in potentiis animæ, et operantur ad modum illarum, præter comitantem gratiæ concursum, indigere prævia excitatione ad operandum. Hanc autem dicimus non fieri sufficienter per objecta externa sine interventu specialis auxilii Dei interioris, ut auctoritate et ratione explicatum est.

CAPUT IX.

DUO INCIDENTER DUBIA DE NECESSITATE EXCITANTIS GRATIÆ, TAM IN NATURA LAPSA QUAM INTEGRÆ, EXPEDIUNTUR.

1. *Dubium incidens.* — *Utrum justus sine auxilio speciali possit aliquid boni facere, quod peccator sine tali auxilio efficere nequeat.* — *Vega affirmat.* — Ex dictis in præcedenti capite, duo incidentia dubia expediri possunt. Primum est, an quoties peccator indiget auxilio speciali ad aliquod bonum operandum, illo etiam indigeat homo justificatus; vel e converso, an homo justus, ratione solius gratiæ habitualis, possit aliquid boni facere sine auxilio speciali, quod homo peccator sine tali auxilio facere non potest. Quod dubium attingit Vega, quæst. 14 de Justificat. Et in conclusione secunda respondet posse justum aliquid facere sine speciali auxilio, quod non potest peccator; non declarat tamen quid illud sit, allegat vero can. 3 Concilii Milevitani, in quo dicitur gratiam Dei, in qua justificamur, non solum valere in remissionem peccatorum quæ commissa sunt, sed etiam in adjutorium ne nova committantur, quem canonem de gratia habituali intelligit, sentitque per illam sine aliquo alio speciali auxilio posse vinctentationem, quæ ab homine existente in peccato sine illo auxilio vinci non posset. Idque confirmat, quia per gratiam habitualement cum suis virtutibus sanatur anima, et confortatur

ad bene operandum: ergo potest sua virtute hoc præstare sine alio speciali auxilio, alias frustra daretur.

2. *Vasquez negat.* — Contrariam sententiam docet Vasquez 1. 2, disputat. 193, c. 2; fundaturque illo suo principio, quod cogitatio congrua ad omnem operationem est necessaria, sive homo sit in peccato, sive in gratia, quia non magis potest voluntas vel intellectus, habens infusum habitum, operari sine cogitatione prævia, quam cum caret habitu; cum autem operatio honesta ex tali cogitatione sequitur, non potest non esse sancta et congrua; talis autem cogitatio congrua semper est gratia quæ non est debita homini etiam habenti gratiam, nam in quavis occasione et momento potest Deus illam non dare sine infidelitate, quia illam non promisit, et sine injustitia, quia homo propter solum habitum justitiæ illam non meretur. Hæc vero parvi momenti sunt contra Vegam; tum quia ille facile negaret omnem cogitationem congruam esse specialem gratiam; tum etiam quia fortasse diceret gratiam habitualement efficere, ut aliqua cogitatio sit congrua respectu hominis justis, quæ non esset respectu peccatoris, et ex hac parte specialius auxilium, id est meliorem seu intensiorem cogitationem esse necessariam peccatori, ut possit esse congrua, quam justo.

3. *Assertio prima.* — *Utendum hac in re distinctione.* — *Ad fundamentum Vegæ.* — *Ad canonem Milevitani.* — *Limitatio conclusionis.* — Mihi vero distinguendum videtur de auxilio excitante vel cooperante, et de bonis operibus ordinis naturalis vel supernaturalis. In operibus ergo naturalis ordinis, nullum invenio discrimen inter hominem habentem vel non habentem habitum gratiæ, sive quoad auxilium excitans, sive quoad cooperans, utique per se loquendo, et ex vi solius habitus. Ratio est quia isti habitus infusi non dantur tanquam principia istorum operum naturalium, neque ad illa per se inclinant, ideoque si quæ est in illis difficultas, illam non minuunt, ac proinde relinquunt eandem auxilii specialis necessitatem, ubi propter difficultatem operis intercedit, et ideo non potest cum probabilitate dici solum habitum sufficere, ut eadem gratia sit efficax vel congrua, quæ alias non esset, cum habitus gratiæ per se nihil ad talem efficaciam conferat. Et ita etiam quoad hanc partem cessat fundamentum Vegæ, quia licet gratia sanet animam quoad mortem culpæ apud Deum, non sanat illam quoad repugnantiam fomitis, nec vim